





IO. BAP. PIGNAE
ORATIO
IN
Funere BARBARÆ natæ
Reginæ Hungariæ ac Boemiæ,
ARCIDVCIS AVSTRIAE,
Ducis Ferrariæ.

Habita Ferrariæ IX. Kl. Octob.
M. D. LXXII.









VEMADMODVM, Alfonſe Princeps ſi vnica dies ſerena fulſerit, nõ ideo aduenifſe ver arbitramur, cum longo tẽpore cõtinuato, quo ſol quotidie vires acquirat ſeq; nitentem prę beat, opus ſit omnino; ita nec fœlicitas humana ex paucis ſed ex multis perpetuis prȩclaris actionibus iudicatur. Hæc quidem ſerenitas, cœli perturbationi, vt beatitudo miſerię oppoſita, ſi animi trãquillitatem reſpicias, diuinę quoquè fœlicitati conuenit. hoc eſt illi cuius nobiſcum eſt cohæres, quam nos edocuit, qua apud Deum patrem pro nobis intercedit Chriſtus mundi Seruator. nam ſi ſedandæ ſunt affectiones vt mens liberè poſsit imperare atq; animus tuta quiete perfrui, noſq; inde hoc modo morigerati ac ciuiles appellari valeamus, quanto magis acceſſuri cœleſti virtute in veram patriam cœlorum ac Dei puritatẽ induere debemus? Si vero ſerenitatis nomine fortunæ proſperitatem intueamur, atq; ita affluentibus bonis externis is abſolutè fœlix dicatur, qui nullis commodis indigeat, vtaturq́; ſecundo rerum omnium curſu, non hæc humana fœlicitas eadem eſt apud Chriſtifideles cum diuina. quinimo ei penitus aduerſatur. quis enim infimi huius orbis delitijs obrutus reſipiſcet? quis proprijs viribus fiſus ad altiſsimum implorandum auxilium conuertetur? ſi tentationes, ſi perſecutiones, ſi omnes corporis cruciatus pertulit, qui prorſus innocens, qui nulla prorſus labe maculatus vnus & idẽ De-

us & homo erat, qui noſtrũ caput, noſtra lux, noſtra ſalus fuit, nos tãti magiſtri, tãti Ducis indigni imitatores cœca ac temeraria cupiditate omniq; libidinũ genere incenſi, ardorẽ huiuſmodi vigilijs, abſtinentia, pijs meditationibus, tolerantia rerum humanarum, contemptione fortunæ comprimendum atq; reſtinguendum non cenſebimus? non id potiſsimum cogitabimus cauteq; decernemus, mali fomentum varia hominum ſocietate, prauo Dęmone ac corporeo ſenſu ſubminiſtrante? Serenus animus in Sereniſsima BARBARA Auſtriaca nata Regina Hungariæ ac Boemię, tua Alfonſe Princeps coniuge, cuius exequias, funebri hoc apparatu, hac luminũ copia, hoc ſacelli ſqualore, mœſtiſsime proſequeris, ita clarè ac perſpicuè elucebat, vt a facie minus celaretur, quam ſi facies velamen eſſet. emanabat propterea illa affabilitas quanq; grauis placidiſsima, illa erga bonos benignitas, erga miſeros commiſeratio, ille perpetuus bonitatis ac morum facilitatis, vitæq; humilis tenor, nulla ſeueræ frontis ſuperbia, nulla turgidi animi elatione in eius maieſtatis decoro impeditus: cuius quidẽ recordatio, quo lętiori corde ac vultu Pricipem noſtrã humaniſsimam ſpectabamus, citiusq; noſtra Principe orbati fuimus, pro qua templa fuere tam frequentia, tot matronarum procerumq; ſuſpiria, tot pię paruulorum lachrymæ, tot vrbis totius deprecationes effuſæ, eo magis animum cuiuſq; percutit. Non ipſa, ſanguine & virtute Sereniſsima, illam fortunæ ſerenitatem affectauit, quę morituris oculis micat, ſplendoremq; æter-

num eripit. Ac votis planè eius (vota hæc erant qualia indicarunt etiam & sospites & decumbentes Margarita atq; Elisabet sorores, angoribus infracto animo perfici) cœlestis Pater aliqua ex parte respōdit. at qua exparte? extrema nēpe, quæ solet esse terroribus plena extremis ac difficillima. nam cum paterna origine ex Meroingis vetustissimis Francorum Regibus, & ex tam longa Cæsarum serie descendat: Cæsarum proneptis, filia, soror; materna autē ex celeberrimis Iagellonis omnium penè septentrionalium prouinciarum Regibus: cum nulla vnquam infortunia in Oenipontis aula, quasi in sacrario educata, persenserit: cū Principi cōiuncta fuerit stirpis, animi & rerum gestarū nobilitate tam excelso (liceat mihi in ore tuo Princeps noster laudū tuarum particulā attingere, qua prætermissa vxor tua dilectissima defraudaretur) cum in ipso Principatu omnium veneratione ac cultu fortunatissimè vixerit, si non cōtrarijs fortunę casibus iactata fuit, naturali ægrotatione in quatuor menses producta ac ferè semper letali, semper verò natura ipsa oppressa ac reluctāte, sēper numerosa morbi sęuissimi familia succrescēte: interioraq; omnia inuadente, fuit vsq; ad supremū vitæ diem cruciata ac consumpta. Sub tanto onere, in tam ingenti certamine defecisset humana prudētia, qua pro nostris viribus in prosperis officia publica & priuata explemus tēperantes ac fortes: & ī aduersis quę vinci possunt vincere conamur, quæ sunt insuperabilia patiēter ferimus. Defecisset hęc prudētia. sæpe enim si in altero fortunę statu est integra;

manca est in altero . si a leuibus nõ confunditur: extin gui potest a grauibus . Defecisset hæc prudẽtia. nã fortissimi viri mortẽ quidem non solum pulchrè sustinent sed audacter aggrediuntur atq; aspernãtur. dolori tamẽ diuturni temporis intenso nunquam intermisso atq; intolerabili, si corporis, nõ animi robore resistunt . si nõ semel firmi in proposito cõtra vim molestię se permansuros sibi ipsis pollicentur, non semel infirmi de proposito decidunt . Defecisset hæc prudentia . si quidem rerum omnium opifex, summusq; noster Parens eam conditionẽ constituit, vt creberrima calamitatũ seges diuina ope nõ accedẽte, nulla acuta validi messoris falce secari possit. Charitatis arma sunt induenda. cedant Vulcania arma, ancylia , fabulę. cedat militię cuiusq; ars: cuiusq; senatus consilium. cedãt sapientissimorũ gymnasia. Charitas,charitas inquã,vna charitas excellẽti supremoq; gradu nõ simulatione,non violentia, non vllo modo humanitus: omnino diuinitus benigna est : patiens est. atq; ideo,vti amicis,cõsanguineis, facultatibus, tectis, vestimẽtis, cibo expoliamur: indigẽtibusq; omnes fortunas nostras charitate Dei gratia elargimur,animam abijcimus; ita inopes, angustijs perstricti , languẽtes, male affecti ac prostrati, charitate omnia Dei gratia sufferimus . Barbara nostra hac perfectissima virtute, ad quam ab ineunte ętate satagẽdo se composuit: qua a Deo suffulta fuit,exẽplo Barbarę Christi martyris ob ingẽtissima supplicia tyrãnicę in illã manus inter Diuas connumeratę, aduersę valetudinis , imo leti cõtinui

ſæuitíam cum Chriſto, ſæpe Chriſti ſacramentis, ſem-
per Chriſtianis precibus fortiter debellauit. ſententiam
illam vti veram teſtificata, non grauiora eſſe carnificum
tormenta, quam interdum crúciamenta morborũ, nec
minus in hiſce quam in illis fortitudine martyribus viã
eſſe ad cœlũ patefactam. O admirabilem cõtra tot hor
ribiles mortis aſperrimæ facies firmitudinem. O eximiã
beatę glorię ſpem nunq̃ ſuccıſam, nunq̃ exſiccatã,nunq̃,
langueſcentem : perpetuo in ſinum ac fontem perennis
clementię viridiſsimam. Nunc in ſuperis, non vt nata
Regina Hungarię ac Boemię, ſed vt membris emortua
& ſpiritu in Chriſto renata, clariſsima Dei glorioſi an-
cilla, veré regiam conſecuta eſt coronam. Nunc in ſu-
peris quo hic erat animi nitidioris, eo puriſsima beati-
tudine eſt auguſtior: ac quo magis hic erat in obſcuris
& acerbis ſtratis afflicta minuſq;proſperitatibus ſplen-
deſcens,eo magis ſublimiori loco voluptate ſuauiſsi-
ma perfunditur. Nũc in ſuperis trinum & vnum Deum
orat, vt occaſio ferat, poſse fratrem Imperatorem Ma
ximilianum inuictiſsimũ Sanctiſsimo Pontifice idem
orante, idem quàm maxime cupiente, idem totis viri-
bus contẽdente, ſanctiſsimo cum alijs fœdere aduerſus
communem & Chriſti hoſtem coniungi: vt ambo Re-
ges eiuſdem Imperatoris generi arma aduerſus eundem
hoſtem pari animo conuertant. Regina,quę in verę au
rorę regia roſeis regalibusq; genis auroram ſuperas,la-
chrymas terge,ſuſpiria mulce, quibus inferiores ſuper-
nasq; auras te decedẽte inficimus ac verberamus. Re-

gina,quæ a ſummo Rege deſcendens , regium culmen conſcendiſti, animos mœrore tabentes recrea.ad te immortalem mortalium pectora dirige. mentē luminibus tuis ſolatam foue. Regina,quę angelorum regimini cœlitumq; Rectori inhęres ac de cœleſti ſpecula nos tibi addictiſsimos reſpicis,vt pulſa noſtrarum tenebrarum caligine luce creſcente atq; in Deo amplificata æternæ verę q; ſerenitatis iter nobis aperias,te ſupplices deprecamur. DIXI.



